Lane Medical Library

DE

HYDROPSIA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE IX. M. MARTII A. MDCCCLXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

AUGUSTUS HENRICUS BUEHRING

BORUSSUS SAXONUM.

OPPONENTIBUS:

H. BOETTICHER, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.
A. SCHRICK, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.
G. WIESENER, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

FRATRI

OPTIMO, CARISSIMO

CHRISTOPHORO BUEHRING

HASCE

STUDIORUM ACADEMICORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Inter morbos periculosissimos ideoque gravissimos haud dubie hydrops referendus est, unde factum, ut eum ex immensa rerum medicarum copia prae ceteris eligerem dignumque haberem, de quo ad summos in medicina et chirurgia honores adspirans ex antiquo more legibus sancito dissertationem, quam vocant, inauguralem conscriberem. Sed quanto gravior haec est materia, tanto magis mihi verendum, ne rem manco quodam modo conficiam. Primum enim arctiores huius opusculi fines uberiorem argumenti expositionem omnino non concedunt, tum vero memet ipsum non arbitror idoneum, qui, quod iam multi viri summis ingeniis exquisitaque doctrina tractarunt, melius exhibere possim. Itaque nonnemini rem viribus meis imparem suscepisse atque illud neglexisse videbor, quod iam clarissimus vates Romanus nobis sapienter praecepit: „Sumite materiam vestris, qui

scribitis, aequam viribus et versate diu, quid ferre recusent, quid valeant humeri.“

Verumtamen non perfectam quandam numerisque omnibus absolutam commentationem, sed aliquod modo meae et eruditionis et experientiae specimen edere volui. Neque hoc puto usquequaque probabile, quamobrem te, Lector Benevole, etiam atque etiam rogatum velim, ut, si qua in libello meo inveneris errata, ea mihi humaniter condones, non immemor illius Ovidiani:

Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis
Causa, sed utilitas officiumque fuit.

DE HYDROPSIA.

Hydropsiam eum appellamus morbum, in quo congeriem fluidi secreti in parenchymate aut in in cavernis corporis humani reperimus. Est autem hydrops aut infiltratio hydropica aut exsudatio hydropica; illa partes corporis ductiles, telam cellulosam et telam coniunctivam, musculos, cerebrum, osteomyelon vasorumque vaginas corripit, quum in exsudatione hydropica, in hydrope libero, fluidum intra partes aut earum in superficie et in cavis congestum invenimus. Praeterea infiltratio hydropica in musculis, in cerebro, in hepate, alibi nunquam tantopere diffunditur, quantopere in tela coniunctiva, quae maximam et diffusionem et tensionem concedit; hic igitur infiltratio in substantiam intercellularem penetrat et illa amplius procedente magisque increscente disiunctiones et cava oriuntur, in quibus fluidum reperitur. Quodsi tela tam cellulosa quam coniunctiva infiltrata est, hic status vocatur oedema, anasarca, hyposarca, aqua intercus, hydrops cellulosus, submucosus, dum

exsudatio hydropica pro varia sua sede hydrocephalus externus et internus, hydrophthalmus, hydrothorax, hydropericardium, hydrops ascites, hydrocele, hydrarthrus nuncupatur.

Alii status quam infiltratio hydropica et exsudatio hydropica antehac hydropes spurii nominabantur, veluti hydrops renum seu hydronephrosis, hydrops cystidis felleae, processus vermiformis, tubarum et uteri describebantur, etsi hic modo retentio secretorum in ductibus excretoriis locum habebat, quorum in confinio liquor hydropicus exstabat.

Etiam pulmones saepius affectionem ostendunt, quam medici hydropem vel oedema pulmonum appellarunt, ubi serum e pulmonum capillaribus in alveolos excretum invenimus, praesertim quando serum sanguinis parum albuminis continet atque crasis hydropica exorta est.

DE ELEMENTIS LIQUORIS HYDROPICI.

Exsudatus liquor, qui in parenchymate organorum vel in cavis corporis exstat, elementa substantialia continet soluta. Saepe insunt elementa morphologica, elementa cellulosa superficierum exsudatum excludentium, pinguia crystallina, cholestearinum, recentia exsudata fibrinosa et hae-

morrhagica. Aquositas tamen, leptomeria (Diemerbroeck) multum praevalet atque adeo recens exsudatum aquosius est quam serum sanguinis normale, namque hoc inter 905—917, illud inter 930—980 p. mill. variat et quamquam liquor hydropicus, ubi diutius perstat, densus fit, nunquam tamen numeros seri sanguinis assequitur. Materiae in fluido hydropico obviae, dubitari nequit, quin e succis evadant in corpore circulantibus. Prae ceteris in liquore hydropico haec inveniuntur elementa solida:

1. Albumen aut purum aut specie natri albuminati et tam copiosum quidem, ut partem substantiarum solidarum maximam conficiat et circiter 30 p. cent. expleat.

2. Materiae extractivae et pigmenta. Haec fluidi colorem subflavum, viridem vel subfuscum proferunt et plus ad haematinum quam ad biliverdinum (Virchow) revocanda sunt; urea aeque crebro reperitur ac saccharum desideratur, vel ibi, ubi urina non retinetur. Etiam acidum lacticum et producta decompositionis albuminosa invenimus.

3. Fibrinum plerumque minus copiosum liquori hydropico admixtum, difficile ad isolandum, molle et gelatinae simile, secundum Vogel modo 0,6—1,7 p. mill. conficit.

4. Salia. Inter ea sal culinare copiosissimum est, nec minus salia natronata sulphurica et carbonica, sed pauca salia kalina reperimus.

5. Pinguia in exsudatis recentibus semper insunt et plerumque albuminatibus adstricta sunt, qui quidem posterius ut decompositionis producta corporum aliorum discedunt. Ita cholestearinum cum admixtis cellulis invenitur.

DE HYDROPIS SYMPTOMATIBUS AC DECURSU.

Cunctis hydropibus hoc est commune, quod, ubicunque exstant, spatium partium amplificant.

a. In hydrope libero cavum extenditur, parietes eiusdem tenduntur et tensio tanta fieri potest, ut saccus serosus lapidis instar sentiatur, id quod verbi gratia in hydrocele accidit. Aliud signum est fluctuatio, quam saccis minus tensis percipimus, si eos percutimus, ita ut locus contentorum mutetur eoque parietes conquassentur ac moveantur. Pari modo organorum in cavis sitorum locus commutatur. Pulmones et intestina, si aerem continent, natant; partes ponderosae, uti cor, demerguntur idemque perinde atque hepar et diaphragma ex situ naturali pellitur. Fluidum alia corporis positione etiam alium accipere potest statum. Per-

cutientes his in casibus sonum percipimus languidum et inanem, sicut auscultantes corde dislocato sonos audimus infirmatos.

b. In infiltratione hydropica peculiaris quidam sensus pultaceus oritur. Infiltratum digito prementi cedit et foveae tamdiu resident, quoad fluidum eo rediit. Etiam vestibus arcte applicatis aut corpore in rebus duris incubante liquor dispellitur. Nec solum vero cutis externa, verum etiam hepar, lien, pia mater pressum recipiunt. Partes ipsae apparent pallidae, tumidae, adeo pellucidae, cutis est frigidior, splendida, frequenter rimosa et cicatricosa, nonnunquam in modum vesicularem a reti Malpighii ablata. Per pressum et tensionem pingue aboletur; praeterea continuitas dirimitur, quo facto infiltratum effluere potest, nec raro cutis ambitu vel maiore vel minore gangraena destruitur. Pariter conditiones periculosae ex oedemate evoluto indeque nata coarctatione prodeunt, velut in oedemate glottidis suffocationis periculum exoriri potest.

Peculiaria sunt signa hydropis lymphatici. Fluidum in cavo pleurae, in peritonaeo, in tunica testiculi vaginali et in articulationibus obvium, quamdiu aeri aditus intercluditur, coagulatione vacat et tantum illo demum adeunte post minutas vel horas coagulatur. Coagulatio fit gelatinae instar

et massa ad decompositionem minus proclivis diu manet normalis. Idem hydrops etiam apud infantes reperitur et specie quidem sclerematis seu indurationis telae cellulosae. Loci infiltrati contra quam in oedemate duri sunt et pressum digiti aut omnino non aut perparum recipiunt.

Praeter haec symptomata turbationes et nutritus et sensus existunt.

Atrophia telae, postquam infiltratum diutius perstitit, pressu et tensione provocatur atque mutatio, quae imbibitione liquoris hydropici effecta non ita raro post obitum demum reperiebatur, alba specie incrassata membranarum serosarum proditur. Musculi relaxantur, decolorantur, flaccescunt facileque rumpuntur. Haemorrhagiae vasis minoribus ruptis succedunt easque invenimus aut ecchymoses aut infiltrato admixtas.

Nutritus et manca chyli apparatione et compressione ventriculi tractusque intestinalis affligitur. Anorexia plerumque exstat, sed sitis aucta esse solet. Secretio urinae parca aut adaucta est et urina opaco turbidoque colore atque iumentosa vel limpida et pellucida est. Cutis est sicca et in locis non infiltratis defurfuratur; crebro etiam membranae mucosae siccae sunt, aut secretum edunt viscidum; alvus est retardata bilisque secretio imminuta.

Sensus turbationes molesta gravedinis et tensionis perceptione in partibus affectis manifestantur et in hydrope lymphatico dolor pungens cum aucta temperatura et inflammatoriis febrilibusque symptomatibus oritur, dum in hydrope seroso temperatura deminuitur.

Quod iam ad decursum hydropum spectat, idem est simplex. Exsudatum organisari nequit, quamobrem modo mutationes chemicas subit. In his, quod quidem genus rarius usu venit, transformatio putrida numeranda est, quae solum aere atmosphaerico adeunte profertur, quapropter hic aditus ob ampliorem membranarum serosarum irritationem indeque prodeuntem inflammationem ac facilem in materias purulentas decompositionem quam maxime prohibendus est. Etenim non tantum formae inflammatoriae erysipelatosae proveniunt, sed facile etiam transitus fit in gangraenam, ad quam partes hydropicae per se iam dispositae sunt. Attamen exsudatum, ubi diutius persistit, etiam inspissari potest, si partes aquosae resorbentur et solidiores, imprimis cellulae confinii epitheliales admiscentur, unde species turbidae et colorationes ac praesentia elementorum floccosorum patescunt. Una vero partes affectae illo processu condensantur et indurantur atque massa

cutis telaeque coniunctivae increscit; partes fiunt maiores, inaequales, asperae, tuberosae, nec raro qualitatem recipiunt nodosam, quae consistentiam pultaceam retinet, unde illae proficiscuntur deformationes, quae nomine elephantiasis nuncupantur.

DE CAUSIS.

Iam longo abhinc tempore hydropi turbationem universalem, corruptionem quandam aut certe altum astheniae gradum subesse ponebatur, quippe quod tota hydropicorum constitutione vel natura materiarum excretarum indicetur. Crasis serosa statuebatur et numeris serosa sanguinis qualitas demonstrabatur. Haec tamen non semper hydropsiae causa est, quum etiam sero increscente liquor sanguinis idem manere possit, quia in locum perditi albuminis copia salis octuplo minor substituitur. Crasis igitur serosa ibi solum ponenda videtur, ubi in paribus sanguinis quantitatibus copiae seri relative maiores insunt.

Rectius causae hydropis illis signis observandis cognoscebantur, quae vasis ligatis edebantur. Veluti Lower ligata vena cava adscendente in cavo pectoris canis asciten et infiltrationem hydropicam musculorum nasci animadvertit et inhibitionem circulationis sanguinis causam hydropis proximam

statuit. Idem etiam Hoffmann ex oedematibus conclusit, quae prelo arteriali applicato proferebantur. Primus autem Bouillaud effecit, ut haecce hydropum theoria mechanica communiter approbaretur. Proinde causas hydropis in apparatu sanguifero et in sanguine ipso sitas esse , atque hydropem universalem rebus traiectionem sanguinis per cor et pulmones praepedientibus et hydropem partialem rebus circulationem venarum finibus hydropsiae inclusarum inhibentibus produci constat. Namque in vitiis valvularum cordis, in emphysemate, in bronchitide chronica, in empyemate pulmonum hydropem reperimus universalem; contra in morbis hepatis transitum sanguinis impedientibus, in graviditate, in tumoribus cavi pelvis hydropem asciten, in tumore glandularum inguinalium, in thrombosibus venarum cruralium oedema extremitatum inferiorum, in scirrho et inflammatione glandularum axillarium oedema extremitatum superiorum. In cordis morbis hydrops in malleolis comparet, dum in pulmonum affectionibus primum in facie, in palpebris conspicitur. Quibus in malis conditiones mechanicae causa hydropis nascentis proxima sunt et in universum eaedem ansam frequentiorem dare videntur. Hydrops enim hic ex sanguinis stagnationibus ac venarum obturationibus

provenit et ibi primum apparet, ubi vasa capillaria transitum liquoris hydropici facillime concedunt. Quoniam autem dubitari nequit, quin hac ratione mechanica hydrops gigni possit et soluta sanguinis elementa per pressum lateralem vasa capillaria pervadere queant, aliud etiam hydropis momentum aetiologicum statuere idque in sanguinis qualitate hydraemica quaerere debemus, quia per eam filtratio valde sublevatur. Atque hic praecipue qualitas albuminis respicienda est, quod ibi, ubi natrum vel kali liberum vel carbonicum in sanguine quam copiosissimum exstat, per membranas animales facilius penetrare potest.

Itaque affectiones organorum quorundam, si tempus longius explent maximeque, si cum iactura succorum et excretionibus albuminosis iuncta sunt, ad hydropem eo disponunt, quod in sanguinem reagentes primitus numerum corpusculorum sanguinis imminuunt et posterius etiam contentum albuminis elevant. Item ulcerationibus tuberculosis et gangraenosis, dysenteria diuturna, carie, empyemate, sanguinis profluviis diu constantibus hydrops provocatur.

Aegrotationes organorum quorundam, nominatim hepatis et splenis, antehac ad hydropem generandum necessariae ducebantur, imo causa

hydropis proxima putabantur. Recentioribus tamen experimentis et observationibus satis declaratum est, morborum iecoris effectum ad hydropes in maius elatum esse et intumescentia lienis per compressionem venae cavae aliarumque venarum abdominalium hydropem potius produci quam ipsa lienis affectione, namque in leucaemia, sicut post febrim intermittentem adeo magnos splenis tumores sine hydrope invenimus.

Causa vero gravior esse videtur aegrotatio renum et iam van Helmont ex ea hydropem proprie nasci putabat. Verumtamen certius fundamentum tum demum partum est, quum albuminis excretiones per urinam indeque oriunda hydraemia cognitae essent (Wells et Blackall) et quamvis hydropes cum albuminis excretionibus et sine iis discernerentur, tamen renum affectione transitum materiarum hydropicarum in urinam conciliari censebatur, quoad Bright nos qualitatem morbi renum anatomicam docuit, qua quidem doctrina solum illa qualitas, nec tamen nexus inter hydropem et albuminuriam morbumque renum intercedens patefactus est, etenim satis constat, albuminuriam aeque ac renum degenerationem sine hydropsia atque albuminuriam sine renum degeneratione et denique cunctas has tres affectiones quarta quadam causa proferri posse (Frerichs).

Sabatier sanguinem in albuminuria albumine cum urina excernendo aquosiorem eoque ad transsudationem procliviorem fieri exploravit. Sed quum hydrops albuminuriam non semper comitetur, dilucide apparet, ad turbationem dyscraticam, ut transsudatio efficiatur, etiam mechanicam accedere debere, praesertim quum causam omnium hydropsiarum proximam turbationes circulationis locales aut diffusas posuerimus. Copiosiores albuminatum excretiones in dysenteria et in phthisi invenimus, quibus igitur hydrops facile succedere potest.

Quemadmodum vero copiosiore albuminatum excretione dispositio ad hydropem adducitur, ita altera ex parte receptione parciore, manco nutritu hydraemia et ad tempus hydrops gigni potest. Neque vasa lymphatica ad ortum hydropsiarum nihil valent, namque ea, ut ductus thoracicus, saepenumero coangustata et obturata, aut vicinis neoplasmatibus compressa cernuntur, ita ut una etiam venae comprimantur eoque facilius transsudatio consequi possit. Quibus variis hydropsiarum causis plus minusve factum est, ut varia instituretur divisio, quam breviter exponamus.

Ita hydrops calidus seu inflammatorius is status vocabatur, in quo symptomata febrilia edebantur, temperatura augebatur et forma processus

inflammatorii exstabat, quum hydrops frigidus species serosa appellaretur. Praeterea hydropes in activos et passivos, in sthenicos et asthenicos, in idiopathicos et symptomaticos dividebantur et activis species inflammatoriae ac febriles, passivis cachecticae et mechanicae designabantur; species sthenica et asthenica etiam ex virium conditione aegrotorum pendebat.

Hydropsiae acutae tantummodo ad prognosin graves esse videntur, quoniam prosperius decurrunt quam chronicae, quibus plerumque cachexia subest.

Hydropes idiopathici et symptomatici magis quam species superiores respiciendi sunt et quamquam statuere debemus, plerosque hydropes secundarios esse iisque crasis sanguinis mutationes vel circulationis turbationes subesse, tamen casus observati sunt, ubi nulla turbatio detegi poterat, sed transsudatio effectibus atmosphaericis allata erat. Pariter transsudatio conspiciebatur, ubi cutis hyperaemiae locum habebant, verbi gratia post scarlatinam, aut ubi cutis transspirans subito refrigerabatur. Itidem anasarca post suppressam urinae secretionem suppressamque menstruationem frequenter exoritur, neque raro partes puellarum chloroticarum aeri expositae fiunt hydropicae.

Tametsi ortus harum hydropsiarum nondum satis patefactus est, tamen ponere nobis liceat, hic quoque sanguinis commutationes dispositionem ad hydropem secum ferentes antecessisse, etiamsi illae commutationes secundum Williams in eo sitae sint, quod materiae excrementiciae, praecipue urea, retineantur.

Non minus nos latet genesis hydrocephali interni, recte tamen statuendum videtur, exsudatis inflammatoriis et stagnatione mechanica, sicut tumoribus et neoplasmatis tuberculosis in basi cranii orientibus transsudationem produci.

Postquam elementa fluidi hydropici supra memoravimus, nunc adhuc de urina, quae liquore excreto longe gravior est, pauca dicamus. Aut turbida, concentrata minusque copiosa, aut liquida et permulta excreta urina praeter elementa solida in hydrope semper albumen continet et ad diagnosin constituendam urinam circa albuminis contentum explorari semper necesse est. Quoniam liquoris excretio per cutem, pulmones tractumque intestinalem ad emissam urinae quantitatem plus minusve valet, variatio est necessaria; attamen normalem, horis vicenis quaternis redditam urinae quantitatem pondere specifico 1012—1015 circiter 1500 c.c. sive $3^{II}_{|4}$—3^{II}_{2} libr. cum 50—60 gramm. ele-

mentorum solidorum statuere possumus. Ut vero albumen in urina detegatur, haec calefit et iam ineunte coctione turbidum quidpiam comparet, quod in refrigeratione desidit, neque addito acido nitrico evanescit. Disparet autem illud turbidum, si ex salibus constat phosphoricis. Propterea turbidum calefactione prolatum acidis et acidis prolatum calefactione explorari debet.

DE EXITU.

Exit hydrops aut in sanationem aut in mortem. Sanatio eo efficitur, quod effusus liquor serosus sensim sensimque evanescit atque resorptio exsudatione collata faustior redditur et mala sanguinis qualitas immutatur. Frequenter sanatio consequitur, posteaquam fluidum perrupit et effluxit e cavo seroso, uti ascites per umbilicum, hydrorrhachia per saccum spinae bifidae, hydrocephalus per integumenta cerebralia et cetera. Crebro hydrops etiam mutatis conditionibus externis disparet, sed non minus celeriter revertitur eoque cautius tales sanationes speciosae observandae sunt, quod plerumque effusio tanto vehementior imminet atque collapsus patientium adducitur.

Mors in hydropsiis vario modo afferri potest

et eo quidem, quod organon hydropicum fit, cuius integritas ad vivendum pernecessaria est. Hydrocephalus igitur, oedema glottidis, oedema cerebri, hydrothorax, hydrops pericardii, oedema pulmonum tales sunt morbi, qui temporis spatio vel longiori vel breviori per apoplexiam serosam, per coma et soporem, aut per inhibitionem actionis respiratoriae, per dyspnoeam et orthopnoeam exitiales fieri solent.

Deinde mors marasmo (ex exinanitione) in hydropibus cachecticis provocatur, qui persaepe cum atrophia, turbata digestione et gravium sanguinis elementorum iactura complicati sunt, ita ut aegri hoc in statu in sceleti modum emacrescant, donec colliquatione exstinguuntur. Porro hydropici ex paralysi febrili moriuntur, quo tales pertinent formae, quae ratione vel primaria vel secundaria maiorem efficiunt turbationem localem, sub cuius evolutione, velut erysipelatis vel gangraenae, febris exoritur. Cuiusmodi in casibus haud raro paralysis medullae accidit, aut febris indolem hecticae recipit ac mors sub celeri virium defectione consequitur.

DE PROGNOSI.

Quam variae sunt causae hydropis, tam varia eius prognosis, nec ullus fere morbus alius

tantam concedit varietatem. Hydropes ex simplicibus turbationibus mechanicis oriundi prognosin offerunt faustiorem, quia saepe circulatio collateralis restituitur eaque turbatio compensatur. Pariter eae formae, quae in manco vertuntur nutritu, aut ubi functionibus turbatis (graviditate, miasmatis palustribus) ansa ad transsudandum datur, augurium laetius admittunt. Huc etiam formas acutas et inflammatorias referri licet, si effusio non vehementior existit atque organon ipsum, aut partes vicinae in functionibus suis non nimis interpellantur. Itaque in ascite melius praesagire liceat, quam in hydrothorace et hydropsiae post scarlatinam, morbillos, febrim intermittentem et apud revalescentes plerumque prognosin secundam concedunt.

Alia est prognosis formarum cachecticarum et hydraemicarum, quippe mala esse solet et ascites post hepatis morbos et renum degenerationem haud prospere exit, quum et diuturnitas et effectus organis vicinis semper noxius sine remotione causarum signa secum ferant, sub quibus mors cito ingruit, ita ut in universum iudicare debeamus, prognosin in hydropsia e gradu exinanitionis atque ex magnitudine et numero affectionum localium pendere.

DE THERAPIA.

Iam ex aetiologia supra exposita perspici potest, curam hydropis non posse simplicem esse, quia illius conditiones nimis variae sunt atque localitates varium concedunt effectum. Ante omnia copia fluidi hydropici, peculiaria symptomata topica proferens, attentionem nostram et oppugnationem tum requirit, si directum minitatur periculum, aut saltem tales commovet molestias, quae nisi copia liquoris removenda tolli non possunt, vel si hac copia remota curatio causalis sublevatur. Quocirca haecce therapia locum primum tenet, quamvis causam proximam in mutata sanguinis mixtione reperire saepenumero perdifficile sit, quippe quam tam renum affectio quam hydrops efficere queat. Nec rarius vero albuminuria renum morbo succedit et hydropem adauget, ita ut tum hic, tum ille status secundarius existat. Cuiusmodi in casibus pariter atque ibi, ubi ascites post carcinoma hepatis provenit, therapiam in successibus modo palliativis acquiescere necesse est.

In simplicibus hydropsiis mechanicis remisus tollendus et impedimenta minuenda sunt. Frequenter situs mutatio, elevatio partium affectarum, levis musculorum actio prosunt; multo au-

tem plus proficimus, si verbi causa tumores aut exsudata, quae renituntur, removere possumus. Transsudatum tamen iam ad gradum altiorem evectum ratione peculiari tractandum est ac prae ceteris id agere debemus, ut illud coerceatur, id quod frictionibus et vincturis compressivis indeque oriente reductione in vasa abducentia fieri potest. Increscente vero partium affectarum tensione scarificationes vel etiam punctiones (paracentesis abdominis et thoracis) ut remedia palliativa requiri possunt. Constans tamen liquoris hydropici remotio ibi solum exspectanda, ubi conditiones stagnationis tollere, aut circulationem collateralem restituere possumus.

Talem spem hydrops morbos hepatis et vitia valvularum cordis excipiens nobis non concedit. Tum tantum illo in casu, quando inflammatio recens atque causa (inflammatio) fortasse in syphilide quaerenda est, successum et compressionis remotionem sperare liceat, dum in vitiis valvularum cordis, ubi status cachecticus evolvitur, complicatus ille quidem cum deminutione corpusculorum sanguinis, fibrini albuminisque, tantummodo et cordis actio et digestio regulari atque remedia palliativa adhiberi queunt.

Formae hydropis acutae, quarum genesis ob-

scura est, veluti suppressionem gravium secretionum aut processuum pathologicorum insequuntur (hydrops menstrualis, homorrhoidalis, scarlatinosus), pro individualitate methodum antiphlogisticam, sanguinis detractiones vel universales vel topicas postulant. Genitalia et anus in processibus menstrualibus atque haemorrhoidalibus et regio lumbaris in processibus nephriticis ea sunt loca, ubi hirudines et cucurbitulae cruentae applicari debent, sicut in hydrothorace, ascite, hydrocephalo organa affecta aut eorum confinium. Sanguinis vero depletiones diureticis multum sublevantur, ut nitro, tartaro boraxato, digitali et saturationibus, sicut tartaro depurato et laxantibus, verbi gratia manna, tamarindis; praeterea calomelane et tartaro stibiato, neque minus sulphure antimonii aurato nobis interdum uti licet. Etiam saccus serosus in hydropsiis acutis evacuatur, ut cura aut praeparetur aut instituatur, quia saepius antiphlogosi continuata, aut posterius iniectione stimulante sanatio comparari potest.

Peculiari autem modo hydropes hydraemici et cachectici tractandi sunt, ubi id spectandum, ut agentes res noxiae leniantur aut, si fieri queat, removeantur.

Quum agentia nociva in conditionibus atmo-

sphaericis et telluricis, in haemorrhagiis vel profluviis, in albuminuria, in ulceratione intestinorum, in blennorrhoeis, in effectu rerum toxicologicarum, in miasmatis palustribus morbisque localibus constare possint, medicum oportet has res iniquas, quoad potest, immutare et emendare. Itaque domicilium et clima statusque abnormes permutare studeas. Bono aere puro victuque roborante frequenter malum diuturnum tollitur ac praesertim sic hydropsiae convalescentium citissime profligantur.

Difficilius est renum degenerationi repugnare, attamen derivantia, ut cucurbitulae cruentae, vesicatoria, moxae ad regionem lumbarem applicandae, impendi possunt et intus antiphlogistica danda sunt, quamdiu affectio quaedam inflammatoria videtur exstare. Sin status potius chronicus est, diuretica stimulantia, scilla, cantharides, terebinthina, balsamum copaivae, cubebae, coccionella, spiritus nitri aethereus, adeo helleborus albus, veratrum album et iodum ad usum idonea sunt. Contra in statu erethistico uva ursi plurimum prodest.

In universum copiam potulentorum comminuas, quod et ipsum utile inventum est, nec minus medicamenta permutes, simulatque unum al-

terumve inutile cognoveris, id quod crebro accidit. Nonnunquam tamen remedium, postquam iam sine ullo successu adhibitum est, efficacissimum existit.

Deinde in hydropsiis qualitas sanguinis maxime attendenda et si fieri potest, ad normam redigenda est. Quem ad finem roborantia, nutrientia et hydragoga conducunt, quae, prout res sese habent, aut singula aut coniuncta in usum vocari debent. Praecipias igitur victum bene alentem facilemque concoctu (bonum iusculum, diaetam lacteam, ova, carnem bene assam) cum potulentis roborantibus (cerevisia, vino) atque bonum provideas aerem aequabiliter calidum, dum simul digestionem remediis amaris aromaticis (carduo benedicto, gentiana, absinthio, china) sublevare studeas. Balnea etiam et lotiones aromaticae curam promovent. Denique ferrum hic caute usurpatum ad sanguinis mixtionem bene valet.

Hydragoga longo ex tempore in usum vocata, quum salium copiam relative maiorem in sanguine contineri adhuc ignotum esset; inter medicamenta sanguinem emendantia locum tenent idoneum. Secretiones commoventia hydropem oppugnant. Potissimum renes et intestinum excitanda sunt, quoniam secretio cutis adeo balneis et frictionibus

restitui nequit. Diuretica et drastica, uti colocynthides, gummi gutti, bryonia, ialapa, rhamnus catharticus, hic utilia sunt. Imprimis ab Abeille gummi gutti collaudatur, quod idem auctor quotidie usque ad unum gramma (plus quam sedecim grana) impendebat.

Omnino autem in therapia hydropum non debemus effectum remedii usu diu continuato quasi expugnare velle, sed semper praestat permutatio, si conditio aegroti non mox melior redditur. Prae ceteris tamen videndum, num circulationis vel universalis nutritus turbatio removenda sit, an diathesis hydraemica ad sanguinem pertineat. Ita hydrops ipse tum demum curandus erit, quum illas causas eum efficientes profligaveris.

LITTERATURA.

Abeille, traité des hydropsies et des kystes ou de collections séreuses et mixtes dans les cavités closes naturelles et accidentelles. Par. 1852.

Archiv für Anatomie und Physiologie. 1862. (A. Schmidt.)

Archiv für pathol. Anatomie. T. I.

Bouillaud, journal de physiologie par Magendie. Par. 1823.

R. Bright, reports on medic. cases. Lond. 1827.

Canstatt, die specielle Pathologie und Therapie vom clinischen Standpunkte aus bearbeitet. Erlang. 1843—48.

Joan. Pet. Frank, de curandis hominum morbis epitome. Lib. IV. part. 1. Tubing. 1811.

Fuchs, über Emphysem der Lungen. Götting. 1845.

Henle, Handbuch der rationellen Pathologie. Braunschw. 1848—52. Vol. II. Sect. 2.

Lobstein, Lehrbuch der pathol. Anatomie. Vol. I. p. 154. Stuttg. 1834.

Lebert, Handbuch der pract. Medizin. Tübing. 1863.

Magendie, leçons sur les phénomènes de la vie. Par. 1836—38.

M. E. A. Naumann, Handbuch der medicinischen Klinik. Tom. III.

Osborn, Pathologie und Therapie der Wassersuchten. Aus dem Engl. von Nasse. Leipz. 1840.

Uhle und Wagner, Handbuch der allgemeinen Pathologie. Leipz. 1864.

Virchow, Handbuch der speciellen Pathologie und Therapie. Tom. I. Erlang. 1854.

Vogel, die Krankheiten der harnbereitenden Organe. Ibid. tom. VI. Erlang. 1863.

C. Schmidt, über Transsudation im Thierkörper.

VITA.

Ego Augustus Henricus Buehring, fidei evangelicae addictus, die XX mensis Octobris anni MDCCCXXII Cochstadii, in oppidulo Saxoniae provinciae, natus sum patre Christophoro, matre Maria e gente Otto, iam dudum vita defunctis.

Litteris in urbe patria satis eruditus tempore auctumnali anni MDCCCXL Magdeburgum discessi ibique tentamine superato in institutum medicochirurgicum receptus sum, ubi per sex semestria lectionibus vv. Celeberrimorum Andreae, Beulke, Dohlhoff, Elsholtz, Kersten, Schulze interfui atque in scholis clinicis medicis et chirurgicis vv. Celeberrimis Dohlhoff, Reiche, Kersten magistris usus sum. Mense Aprili anni MDCCCXLIV examen medicochirurgicum sustinui et inde a mense Iunio eiusdem anni usque ad initium anni MDCCCL munere chirurgi militaris functus sum. Interim auctumno anni MDCCCXLVIII medicus obstetricius approbatus sum, postea vero, quum muneri militari renuntiavi, usque ad auctumnum anni MDCCCLXIII chirurgiam civilem factitavi. Deinde medicinae operam daturus Bonnam petii, ubi simul mense Iulio anni praeteriti testimonium maturitatis academicae adeptus sum. Duobus annis Bonnae exactis studia medica continuaturus Berolinum abii ibi-

que auctumno anni praeteriti civis academicus factus in album medicum relatus sum. Scholis interfui clinicis Ill. Frerichs, Ill. de Langenbeck, Ill. Griesinger, Ill. Iuengken. Praeterea Ill. Reichert cursum anatomico-microscopicum frequentavi.

Iam tentaminibus tam physico quam medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine superatis fore spero, ut hac dissertatione cum adiectis thesibus publice defensa summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Hydrocele incisione tutissime curatur.
2. Febris hectica amputationem non vetat.
3. Albumen in urina hominis inventum non semper morbum Brightii significat.
4. Fractura radii plerumque iam adspectu dignoscitur.
5. Reflexio uteri nulla ratione sanari potest, nisi naturae vi medicatrice.